

nobis constat: existimamus phrascon istarum ad protrahendos ipsos è latebris, usum esse maximum.

80. Quibus ita constitutis concludimus cum Ireneo & Augustino: In S. Coena duas res presentissimas simul verè dari & exhiberi: Vnam terrenam: Panem scilicet & vinum: Cœlestem alteram, Corpus & sanguinem Domini: idq̄ fieri non supra in cœlis, sed hîc in terris: non fide duntaxat spiritualiter, id quod etiam extra Sacramenti hujus usum fieri potest, docente Servatore Ioh. 6. Sed cum pane & vino ORALITER: verùm modo imperscrutabili & hyperphysico.

81. Vbi tamen ORALIS manducationis termino, non physicam, non naturalem, non Capernaïticam, non Cyclopicam manducationem intelligimus, quam Ecclesiis nostris Antagonistæ mereo calumniandi œstro perciti, præter omne meritum affingunt.

82. Quemadmodum enim presentia Corporis Christi, licet sit vera, non tamen est physica vel naturalis: Ita & manducatio Corporis Christi, licet fiat Ore Corporis: hoc enim est ὄργανον illud δεικτικόν, quo panis, & cum eo sacramentaliter uniti Corporis Christi fit participatio: non tamen est physica & naturalis: sed est & manet manducatio supernaturalis, & verè sacramentalis.